

Dissertatio medica inauguralis : de ophthalmia.

Contributors

University College, London. Library Services

Publication/Creation

[Glasguae] : [excudebat Chapman et Lang], [1805?]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/se6vq5qm>

Provider

University College London

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by UCL Library Services. The original may be consulted at UCL (University College London) where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
OPHTHALMIA.



Fecimus periculum.

OPHTHALMIA procul dubio parvi haud unquam fieri potest, quippe quae organi nobilissimi, maximique generis humani felicitati momenti, conservationem spectat.

Si unaquâque aliâ corporis parte mutilatâ sive inconditâ plus minus, quanto magis visu perduto tangatur mens?

Ophthalmia fere in idiopathicam et symptomaticam distinguitur. At in opusculo hoc, ad illam spectandam est in mente praecipue incumbere studio.

Optime à Culleno definitur “Rubor et dolor oculi, lucis intolerantia, plerumque cum lachrymatione.” At perfectius reddi potuerit forsitan, addendo, et fere cum sensu pulveris particularum inter palpebras et oculi sphaeram.

HISTORIA MORBI.

POTEST incipere ophthalmia vel in tunicis oculi, vel in palpebris. At ex his duobus generibus unum in alterum saepe transit.

Dolor

Dolor haud semper gravitati morbi par est. In quibusdam enim molestia levis; at inflammatio gravis. Sed in aliis valde violens est dolor, (non solùm oculo adhibita, sed etiam cùm exclusa sit lux), quamvis levis fuerit inflammatio. At in exemplis hisce, inflammatae forsàn magis membranae internae, quàm externae fuerint.

Iustam aestimationem de inflammationis altitudine ferme gravitate doloris licet formare; qui plerumque lancinans seu jaculans per caput est, atque febre stipatur, qui etiam verisimile est, ex incitata vasorum retinae et tunicae choroidis actione pendet.

In talibus aliquando, vel in totis tenebris, colores rubri percipi dicuntur cum multo dolore*.

Ubi

* Vide Darwin's Zoonomia, vol. ii. p. 195.

Ubi ophthalmia gravis est, modò brevis sit duratione, aliquando labeculam sive opacitatem corneae producit: et in aliis cùm inflammatio longùm permanserit, (et etiam in pueris, quorum inter palpebras, nihil inseri potuerit), et deinde minuta facta fuerit, oculus manet prorsus clarus. At in his inflammatio fortasse corneam haud attigerit.

Nonnunquam ariditas oculi permolesta comitatur. Sed plerumque tam multae et tam acres sunt lachrymae, ut quae partes vicinas corrodant.

Potest incipere inflammatio parte oculi posteriore, et ad partem anteriorem progredi. Hoc clare constat dolore gravi in oculo imò per caput lancinante, unà cum magna lucis intolerantiâ dies quosdam antequam

quam ulla inflammatio externa esse videatur.

In aliis, rarò quamvis, cerebrum attingere, et mortem misero consciscere, nota est. Visus saepe multùm minuitur. Convenientiam esse magnam inter oculos clare constat. Exinde fit, inflammationem unius saepe stipare posse, vel succedere inflammationi alterius.

Quum equites Norfolcienses apud Piershill versarentur, ophthalmia erat epidemica, necnon contagiosa esse putata. At in hoc toto morbo, nil ei proprium videre licebat, quippe qui medicinis communibus facilè sanatus erat, quamquam per plurimos militum grassaretur.

Morbus

Morbus hic nonnunquam intermittit, vel dolores capitis periodicos comitatur; et notus est, sed rarò, cum haemorrhoidè alternare.

Frequenter exudatio viscida ex palpebris, eas ita conglutinat, ut vix mane aperiantur.

Ophthalmia morbis febrilibus diversis nequitur. Si in statu hoc, inflammatio dolore capitis acuto, magno faciei rubore, tinnitu aurium stipetur, generis activi esse plerumque putanda est. Aliquando autem passiva est, et ex vasorum laxatione unà cum corporis debilitate generali pendet.

Haud rarò ophthalmiam in corporibus scrofulosis fieri constantem, certè frequenter recurrere, liceat videre.

Durante

Durante inflammatione, abscessus minutus nonnunquam in cornea fit; ex quo ulcusculum manet, quod plerumque, excavatione relictâ, sanatur, quae nonnihil obstat visui, et facit ut quae visa, quasi per vitrum undulatum videantur.

Aliquando inter corneae laminae suppurationis parvula fit, et introrsum rumpitur, eamque imo antro anteriore oculi jacentem videre liceat.

Tunica conjunctiva nonnunquam adeo inflammata et crassa reddita est, ut species membranosa sua pereat, atque nonnihil ultra corneae superficiem se projicit, speciemque ei quasi in globum immersum praebebat. Sub nomine Chemosi ab auctoribus multis ejus mentio fit. In hisce exemplis gravi-

ore dolore plerumque stipatur ophthalmia.

In quibusdam, rarò autem, ophthalmiâ afflictis, ob oculos quasi muscae volitantes versari videntur. Saepe pupillae se et contrahendi et extendendi impotentia stipatur, haud raroque praecedit amaurosin.

Si sit inflammatio tam interna, quàm externa, lens crystallina, vel capsula sua, opaca reddi potest; vel aliquâ effusione ita evadat.

Aliquando palpebra superior adeo tumida, ut eam vix aperire possit aeger, simul fere oedematosa est. Pueri aetate admodum tenellâ oculorum inflammationi gravi obnoxii sunt; quae nonnunquam eos cito caecos reddit. Palpebrae fere adeo tumidae
sunt,

sunt, ut oculi videri vix possint, et tentamine ad eas separandas vel levissimo, saepe eversae evadunt. Morbus hic multo majori mucii vitiati missione, quàm ophthalmia plerumque stipatur.

In ophthalmia tarsi primariâ glandularum sebacearum ulcerationes cilia saepe perdunt: hoc autem ferme scrofulae signum est.

In morbo hoc palpebra inferior aliquando adeo eversa est, ut quae affectionem, cui nomen est Ectropium producere queat.

Ophthalmiae terminatio plerumque resolutione, aliquando labeculis vel corneae opacitate, rarò autem suppuratione fit; subinde, sed rarò, amaurosi, aliquando lentis

crystallinae seu capsulae ejus opacitate, dicitur gangraena terminare; at hoc perraro fit.

CAUSAE REMOTAE.

Ictus in oculum, si sint graviores, inflammationem haud parvam inducere queant. Et in quibusdam, notum est, confusionem talem tunicarum et humorum eos produxisse, ut quae caecitatem insanabilem cito induceret. Ictus aliquando sanguinem extra vasa sub tunica conjunctivâ, absque vel ullâ fere inflammatione, mittere posset. Pertussim graviolem sanguinis effusionem in oculo absque inflammatione produxisse, notum est. Sanguis extra vasa eodem fere modo

modo, aliquando vel absque ulla injuriâ externâ, aegro nullo morbo laborante, missus est. In omnibus his exemplis, sanguis priusquam absorbeatur, lividus evadit.

Vulnera et puncturae, utcunque levia sint, malis fere effectibus stipantur. Saepe accidit equitantibus viis angustis oculum sente percussum esse, corneam vulnerante, et post multum doloris et inflammationis diu durantium, aliquando demum prorsus, certe partim, caecitate terminari.

Multum ebrietatis causa etiam alia est, scilicet determinationem sanguinis caput versus augendo: quae res ex faciei rubore clare constat. Ad hoc optime in scripturis sacris. “Who hath redness of eyes?

They

They that tarry long at the wine, they that go to seek mixt wine*.”

Podagram aliquando sequitur morbus hic: atque Dominus Ware memorat de Clero exemplum, à cujus palpebrae interiore latere materiam albam et duram cretae simil^m extractam esse†.

Ex materia extraneâ in oculum admissâ, e. g. fumo, arenâ, &c. saepe oriri possit ophthalmia.

Potest etiam induci ophthalmia ex tumoribus parvis incystatis (quibus pueri valde obnoxii, et qui semper quamprimum amovendi

* Proverbs, chap. 23, v. 29, 30.

† Vide Ware on Ophthalmia, 3 ed. p. 25.

amovendi sunt) juxta vel in palpebrarum margine positus, quippe qui irritando ophthalmiam inducere queant.

Exoritur nonnunquam à tumoribus incystatis naturâ duriore, palpebrarum margine nonnihil distantibus.

Ophthalmia gravior fit aliquando ex ferro, vel metallo quovis, vel materiâ aliquâ aliâ oculo inhaerenti.

Induci queat ex solitis exinanitionibus suppressis; *e. g.* alvo nimîâ astrictâ; quippe plerumque extrudendae faeces cum dolore et nisu nimio sunt; quae res ad hoc nonnihil affert.

In habitu scrofuloso nonnunquam ex
dente

dente carioso oriri potest inflammatio, quae oculum attingere, et ophthalmiam gravem inducere queat.

A quolibet collum nimis astringenti, circuitui sanguinis obstanti, morbus hic induci possit: et modo haud absimili, à dyspnoea gravi aut pertussi.

Fit etiam ventis admodum vel calidis vel frigidis. At in his exemplis, morbus hic saepe à pulveris quibusdam particulis in oculos vento pulsus aggravatur.

Qui multum versari in solis radiis, vel luce aliquâ aliâ clarâ, aut qui multum legere, aut qui à candelae luce res admodum minutas conficere, aut qui nimium in corpora

pora admodum minuta intueri, ophthalmiae obnoxii, soliti sunt.

Ophthalmia post rubeolam atque vario-
lam saepe ex habitu scrofuloso pendet;
quanquam variola pustulis in palpebrarum
lateribus interioribus exortis, vel in oculi
sphaerâ, caecitatem totam aliquando indu-
cere videatur; aliquando, palpebris diu clau-
sis, tantum muci vitiiati inclusum est, ut
quod inflammare, et in quibusdam corne-
am ulcerare queat.

Ophthalmia ex syphili, aut à gonorrhoea
repulsâ, aut ab applicatione muci corrupti
ab urethra ad oculum ipsum directâ, indu-
citur.

Causa alia admodum molesta est, quan-
do

do cilia quodammodo inter palpebras fuerint; res, quae sine palpebris inversis nonnunquam evadit.

Morbus hic inter alia multa mala, quae scrofuloso habitu oriuntur, recte habetur; quippe qui saepe unà cum auctis submaxillaribus glandulis, labio superiore crassiore, tumidis nasi columnis et partibus narium inferioribus, esse videtur. Genus hoc ophthalmiae saepe morbo palpebrarum glandularum praeceditur.

In pueris nunc ex alvi magnâ impuritate, nunc ex dentitione difficili fit.

PROG-

P R O G N O S I S.

NULLA fere oculi inflammatio periculò aliena longe esse videatur: quippe quae organum hoc nobilissimum adeo conturbare possit, ut lucis motus vix vel ne vix retinae mittatur; aut retina ipsa lucis impulsu vix sentiat.

Visus multùm periclitatur, si partes oculi altiùs positae, praesertim si retina male se habuerit. In exemplis talibus, periculum ex sanguine congesto nervum opticum premente, et amaurosin producente, vel ex nervo ipso inflammato facto, et in quibusdam à causis utrisque oritur.

Ophthalmia ex syphili, aut ex gonor-

rhoea repulsâ, aut ex directa applicatione materiae ab urethra missae ad oculum ipsum, multo periculo stipatur, adeoque ut visus diebus paucis perire possit.

Ophthalmia pertussi gravi, aut dyspnoeâ gravi stipata, sanguinem congestum caput versus producentibus, multo gravior fere evadit.

Vita vix unquam periclitatur hoc morbo; quin ex inflammatione ad cerebrum, aut ad ejus meninges pertinente, et plerumque multum febrem, tinnitus aurium, capitis dolorem, delirium aut coma, effusiones, convulsiones et mortem ipsam producente, periculum oriri dictum fuerit.

Diarrhoea suâ sponte ophthalmiae resolutionem nonnunquam stipat.

Ubi suppuratio in oculo fit, (nisi quantitate parvâ, et deinde quidem plerumque absorbetur), caecitate vel partim, vel prorsus, fere stipatur.

Si in cornea sit labecula, verisimile est suâ sponte abitura, aut arte, sive ope medicinae amovenda, nisi se per totam corneae crassitudinem insinuaverit, et deinde per totam vitam perduratura.

Ophthalmia scrofulosa nonnunquam visum totum perdit, oculum corrumpit et tabescere facit.

METHO-

METHODUS MEDENDI.

HAUD parvi pretii ophthalmiam in activam et passivam dividere est. Ophthalmia quaeque enim, quanquam modo admodum activo incipere potuerit, cito plerumque stimulantia esse applicanda, sive talia ut inflammationi passivae idonea sint, postulat.

Primò si modo fieri possit causa excitans amovenda est. Hinc videre licet quàm necesse sit, oculum probe explorandum.

Cùm inflammatio ex pulvere, calce, fuligine, &c. inter palpebras et oculum introductis orta fuerit, hoc quicquid sit, quamprimum amovendum est. Licet hoc fieri plerumque

plerumque palpebris aperiendis, et aegri oculum ad locum ex adversa parte convertendo; deinde linteo in specillo fixo materia extranea amovenda sit. At cùm multae sint particulae in oculo cujuscunque generis, lac calidum inter palpebras et oculi sphaeram injiciendum; et hoc iterum atque iterum pro re natâ repetendum.

Nonnunquam fit, cùm fere certiores facti sumus, et quasi pro comperto habeamus aliquam materiem extraneam in oculo esse, vix eam ne vel videre, multo minus attingere licere. In statu tali lac calidum supra totum oculum syringe mittendum; aut oculus hoc, ope pocilli oculo apti, palpebris simul apertis, immergendus est.

Nonnunquam materia aliena palpebrae
superiori

superiori tam firmiter adhaeret, ut absque ea invertendâ vix abstergeri possit. At palpebrâ inversâ, materia haec cito in conspectum adfertur, et vel linamento specillo affixo, aut (si hoc minùs fieri possit) amovenda sit lanceâ.

Si corpus quodlibet metallicum, seu materia aliqua alia corneae adeo adhaereat ut vix amoveri forcipe parvulâ queat, amovenda est, si modò fieri possit, haustro apice tenui sed hebetè excavato ita ut forma sua ad oculum sit accomodata: at si hoc minùs fieri possit, lanceâ excindenda est; sed haustro tali multo meliùs, quippe quod corneae non nociturum, adeoque nullam cicatricem quae visui sit nocitura faciet.

Sanguinis missus generalis rarò est necessarius,

sarius, nisi alte positas membranas inflam-
mari suspicemur, aut pyrexia adsit, aut ac-
ger sit diathesi phlogisticâ.

Missus sanguinis topicus, hirudinibus ad
tempora admotis, aut cucurbitulâ et scarifi-
cando, admodum probe fieri possit: et in
quibusdam iterum atque iterum repetendus.

In exemplis multis internam superficiem
palpebrae inferioris et vasa in adnata ipsâ tur-
gida scarificare admodum utile erit, et saepe
repeti multo cum fructu possit. In exem-
plis infaustis nunquam est praetermitten-
dum; et labeculae, vasis, quae eis nutri-
menta suppeditaverunt, saepe et ad modum
perpendiculari et finientis sectis, frequenter
evanidae fuerunt. In exemplis talibus mis-
sus sanguinis est promovendus palpebras
eversas

eversas servando, et linteum molle in aqua calidâ immersum eis adhibendo, et quoties frigidum factum fuerit, aliquoties repetendo.

Quandocunque missu sanguinis generali opus fuerit, probe ex vena jugulari fieri possit, aut arteriâ temporali; et in exemplis quibusdam, hanc transverse secare admodum utile et cum multo fructu fuit. Ab his partibus missus sanguinis partim naturae venaesectionis topicae sit habendus.

Et si interiorum oculi partium inflammationem non sit locus suspicari, ex brachio missus sanguinis sit satis.

In Chemosi, tunica conjunctiva biduo quoque

quoque aut triduo, modo jam dicto, scarificanda est.

Et si plùs justo adnata elongata sit, et si non, post frequenter scarificandam, subsidat, pars ejus priùs acu et ligamine transmissa, forfice amovenda sit, gratiâ ejus proferendi.

Vesicatoria in morbo hoc multùm prorsunt, et adhibenda plerumque sunt ita ut ad oculum inflammatum quàm maxime appropinquent; at fere probe est venaesectio priùs, quàm adhibita fuerint, quippe quae aliter in quibusdam irritando morbum forsàn auctura.

Quando ophthalmia admodum gravis fuerit, vesicatorium magnum capiti adhibitum fructu optimo stipatum est.

Ophthalmiis admodum pertinaciter obstantibus, fontanellis aut setaceis collo adhibitis multùm sublevatum est; et cùm morbus saepius redierit, multùm prosint obstando.

Multùm prodest ut irritatio lucis, necnon caloris, evitanda sit. Itaque in exemplis violentis, aegris in cubiculo tenebroso manendum est. In levioribus, Umbraculum chartae densae ex pluribus compactae foliis, viridi serico superinductae, semper per diem super oculos usurpandum est. Si enim oculus unus tantùm inflammatus sit, utrosque melius erit adumbrare, utpote unius motus motum alterius inducit, adeoque inflammationem continuat.

Oculi ejus, qui aliquandiu in loco tenebroso

nebroso permanserit, luci gradatim assuescendi sunt.

Oculus frequenter aquâ lithargyri acetati compositâ statu frigido lavandus est; atque ut oculi sphaeram contingat magnopere curandum. Ubi admodum acris missus est et copiosus, aliquantum mucilaginis gummi arabici lotioni ophthalmicae (suprà dictae) addendum est.

Si palpebrae valde tumidae sint, aliquantum ejusdem inter eas et oculi globum syringe parvâ saepe missum faciendum est donec minuatur tumor. Si palpebrae superioris sit oedematosus tumor, qui obstat ut ne elevari possit, linteum tenue, aquâ lithargyri acetati compositâ probe humidum factum, frequenter in statu frigido adhibendum

dum est, partemque horae quartam unoquoque tempore manendum. At si tumor nec cito subsidat, puncturae paucae in oculi palpebrâ sunt faciendae, quae sero sanguineo parvulo mittendo, cito magnitudinem ejus minuendo, facient ut remedia oculo ipsi faciliè applicanda sint.

In ophthalmia, cataplasmata generis cujuscunque plerumque, pondere proprio et calore faciendo, multum mali afferunt; nec non lachrymis tenendis et irritationem et morbum augent.

Emollientia, qualia, lac sive aqua lacte mixta, praesertim si sit statu calido usurpata, plerumque, calorem augendo et oculi vasa laxando, nocent; nisi ariditas molesta adsit,

adsit, quum usurpare donec ea minuatur liceat.

Unguentum quantitatem cerussae acetatae parvam continens, palpebrarum marginibus nocte quâque, ut obstet quò minus conglutinentur, adhibendum.

At si adsit mane multum muci viscidi, parvo lacte calido lavandum est.

Alvi solutio non praetermittenda est; utpote impetum sanguinis à capite derivando et minuendo, fructum maximum afferat. Calomelanos usus omnibus anteferendus, utpote, praeter vim cathartica suam, ad inflammationes minuendas nonnihil allaturi: et cùm inflammatio alte posita sit, aut pyrexia adsit, repetere necesse erit.

In
oph-

ophthalmiae activae omnibus exemplis probe alvus statu soluto est tenenda. Calomelanos valde paululum, vel unà cum opio vel sine opio, in exemplis gravioribus omnibus et pertinaciter obstantibus, nocte quâque, sive et nocte quâque et mane prout necesse sit, dandum; et ad multum temporis repetendum, ubi labecula aliqua seu corneae opacitas adsit, quippe quod ad absorbendum adjuvat, atque ita multum afferat fructum.

Ubi oculus valde dolens sive irritabilis est, unà cum calomelane, ab grano uno ad duo opium nocte dandum, et si necesse sit, mane omni repetendum est.

Ubi dolor gravis est, papaverum decoctum forte, modo fomenti adhibitum calore grato,

grato, multùm prosit, et donec cesset dolor, subinde est repetendum.

Si febris sit gravis, nitrum dosibus largis die, et ubi calomelas et opium datum fuerit, haustus nocte quâque cum vino antimonii, dandum.

Ubi ophthalmia gonorrhoeâ repulsâ, aut ex directa applicatione muci ab urethra ipsâ vitiati, orta fuerit, haud aliter ac exemplum inflammationis gravioris à causa ullâ communi ortae, habenda est; et venaesectione tum generali cùm topicâ, vesicatoriis, medicinis antiphlogisticis quàm maxime et quàm maturrime levanda est.

Hydrargyrus caeteris ophthalmiis majori copiâ hîc quamvis detur, nihil videtur prodesse.

desse. At in ophthalmia Lue Venereâ ortâ, hydrargyrus sola medicina est, quâ si ullâ confidere licet. Quantitate largâ et diu dandus est, aliter nihil profuturus.

Tarsi in oculo ophthalmiam producentes, radicibus vellendi sunt; at si iterum eodem modo inversi nati fuerint, bulbi lanceâ ab imo secandi sive perdendi sunt.

Quando pus in oculi antro anteriore collectum sit, si, post aliquod temporis, non absorptum fuerit, corneae partis inferioris incisione, modo eodem ac cataracta extrahenda, factâ, mittendum est. Sanguinem sub tunica conjunctivâ extra vasa, guttae paucae aquae ammoniae acetatae in oculum semel aut bis in die stillatae ad absorbendum multùm adjuvabunt.

His dictis de modo activae inflammationis tractandae, ad inflammationis passivae curandae modum itur.

Inflammatio passiva saepe ob laxationem vel ob irritationem, sive ob causas utrasque, tempus diu durat.

Quando ophthalmia minui coeperit, quodvis stimulantis in oculum positum ad absorbendum adjuvabit, atque ita inflammationem minuet. Nunc autem aqua lithargyri acetati composita pro aqua zinci vitriolati cum camphora mutanda est; et quae quantitate certe pari aquae rosae sive stillatae diluenda est.

In hoc morbi stadio, *vinum* opii optima applicatio esse reperta erit; et in oculum

semel aut bis in die, quantitate ab gutta unâ ad duas infundendum. Multum doloris cum multis lachrymis primò adhibitum fere producit; at quae brevi pòst plerumque multùm sublevantur.

Si gutta hujus una in oculum instillanda sit, guttae duae in cochleare admodum parvum ponendae; et quantum fieri possit oculum infundendum est, utpote gutta una fere cochleari haeret.

Ophthalmia plerumque cito vino opii adhibendo minuitur. At in exemplis quibusdam, necesse est adhibendum esse aliquandiu, priusquam vel fructus mediocris percipiatur.

At in aliis admodum utile, inter vinum
opii

opii usurpandum, unguenti quantitatem parvam hydrargyro nitrato rubro praeparati nocte quâque in palpebrarum marginibus, vel summo digito vel penicillo ex pilo camellino facto adhibere, et diluculo proximo, si materia aliqua crustata adsit, lacte parvulo calido lavare.

Praeparatio hydrargyri haec plerumque hydrargyri nitrati unguento, vel ullâ aliâ, non solùm in ophthalmia membranarum, sed tarsi, potior est. Quamvis in morbo hoc praeparationes cupri aliquando hydrargyro potiores sint.

Cùm inflammatio sit valde pertinax, aqua vitriolica camphorata (à Bates) diluta plus minus cum aqua stillat, prout res sit, applicatio erit optima; modo sit in contactu.

(ut

(ut unaquaeque lotio ophthalmica debet esse) cum oculi sphaerâ fuerit.

Dr. Sherwen, mî amicus, et in hoc, et in omni morbi stadio, in habitu scrofuloso, misturam aetheris sulphurati, et spiritûs vinosi rectificati, frequenter plumulâ oculi palpebris et locis vicinis adhibendo, illis inter usurpandum clausis, fructum percepit multum.

Electrum multùm prosit, si dies plures repetendum sit; at effectus sui minime saepe durant.

Lavatio marina in quibusdam inflammationis passivae exemplis, etiam ubi in corpore scrofulam minime suspicemur, haud parùm,

parum, at in ophthalmia cum scrofula, admodum et saepe, prosit.

Calomelas mane quoque et nocte, Cinchona autem bis aut ter dosibus largis, singulis diebus, adhibenda est.

In ophthalmia in pueris, palpebris etiam salvis et inflammatione haud gravi, palpebrae aliquando tamen adeo laxae et oculi simul tam irritabiles sunt, ut eos aperire vel in cubiculo tenebroso illis suaderi diu haud possit. In talibus lavatio marina perutilis erit, simul cum dosibus parvis opii nocte et mane ad irritationem minuendam.

In ophthalmia ingenitâ et habitu scrofuloso, maximi momenti aegrum erectum die servandum, et caput nocte multum elevandum

dum erit. In hujusmodi exemplis calomelanos doses parvae unà cum aconio maculato nocte quâque diu dandae sunt, et cinchona cum spongia ustâ bis in die.

In palpebrarum inflammatione, cui senes praesertim sunt obnoxii, unguentum zinco vitriolato purificato praeparatum, et marginibus nocte quâque positum, perutile erit.

In ophthalmia purulentâ infantum curandâ, quàm maturrime, hirudinibus temporibus applicandis, et tunicâ conjunctivâ palpebrarum oculique sphaerâ scarificandis, sublevandum; atque si sit necesse repetendum: Vesicatoria pone aures vel ad tempora, statim post sanguinis missûs cessationem ab hirudinibus facti, sunt adhibenda. Gutta vini opii inter palpebras nocte quâque

que insinuanda est, oculique saepe aquâ vitriolicâ camphoratâ (à Bates) probe dilutâ, lavandi sunt, secundum commendationem à Domino Ware. Puer purgandus granis singulis vel duobus calomelanos est; et hoc, si necesse sit, repetendum.

Ubi labeculae seu corneae opacitas ophthalmiâ inductae fuerint, si non amovendae sint scarificationibus crebris, vel unguento hydrargyrum nitratum rubrum continente, vel vino opii; guttae duae vel tres hydrargyri muriati solutionis in aqua stillatâ, aut aquae cupri ammoniati in oculum nocte omni et mane diu insinuatae multum prosint.

Ut ne redeat ophthalmia, caput teneatur rasum, totumque corpus saepe lavandum est. At si hoc minus facile fieri possit, ca-

put indies aquâ frigidâ immergendum est, seu aqua frigida oculis solis ope pocilli ad oculum apti adhibenda.

Ut ne redeat ophthalmia, multùm saepe obstat setaceum, et in exemplis quibusdam à cinchona per se, aut cum natro praeparato adhibita, multus saepe fructus sit percipiendus.



In dissertationibus hujusmodi fere omnibus ad praxin accommodatis, modus communis (ni fallor) caput rationi symptomatum dare est; at mihi haud alienum esse à re idem absolvere, huc illuc in locis hujusce opusculi diversis symptomatum quaedam explicando, visum est.